



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Assequendæ perfectioni cooperandum homini esse, tum desideriiis, tum operibus. Cap. ij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

humilius petit, vehementius operatur, ardentius efflagitat, & sanctissima opera tamquam dona quaedam pretiosa pro tanta dignitatis assequutione promittit. Hoc autem non est ridiculum, sed plenum iustitiae, & aequitatis, quoniam virtus digna est per se ipsam, quae ab omnibus expectatur; & quia viri iusti eam non pro ambitione, sed pro Dei gloria quaerunt, non salutis pericula, sed, si perseverent, salutem certissimam in domum suam inferunt, non mendacibus, & ineptis adulationibus, sed veritate vitae, & sanctissimis obsequiis assequuntur. Quae, quia non ab humana industria solent, sed praecipue à Dei gratia procedunt, ita augmentum gratiae merentur, ut illud augmentum à ratione gratiae & doni non seiangant. Quod Augustinus in Paulo, post bonum certamen coronam iustitiae poscente, manifestè conspexit, cuius bona opera, cogitationes bonae à gratia provenientes praecesserunt, cuius bonum certamen, quo strenuè decertavit, & foelicem cursum, quem sanctissimis operibus consummavit, & fidem ipsam, qua in Deum fidelitatem tenuit, illi non naturae vires, sed gratiae auxilia maxima praerogant. Cooperemur itaque gratiae Dei, ut mentis nostrae sanctitatem ab eo impetrare possimus. Ad quod Paulus ipse nos hortatur, dicens: Adiuuantur exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus: Aut enim, tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Deus namque in tempore sibi accepto exaudit nos, & in die salutis nostrae destinato gratia sua adiuuat nos. Hoc autem tempus non est profectò aliud, quam tempus vitae nostrae, quod sub Evangelica lege transigimus. Haec dies non est alia, quam dies conuersionis nostrae, & vitae spiritualis nostrae, quae si aeternitati comparatur, non longior est hesternae die, quae praeteriit. In hoc tempore Domino factis accepto, & in hac die ad operandam salutem animae nobis concessa, abundans gratia data est, cuius praesidio donum perfectionis assequamur. Ne in vacuum recipiamus eam, nec tamquam ille seruus malus, & piger, ligatam in sudario oriostratis custodiamus, sed ei fideliter & diligenter cooperemur. Reuelabitur enim ira Dei de caelo super omnem impietatem & iniustitiam hominum illorum, qui veritatem Dei intellectui reuelatam, & voluntati gratiae auxiliis oblatam, velut compeditam, & ligatam in iniustitia detinent. Ne simus velut arbores mortuae, quibus nec caeli influxus, nec aethorum aspectus, nec aquarum decursus, ad ferendum fructum aliquid profunt, sed tamquam generosae arbores saluberrimo caelo fruantes, & matutinis ac serotinis gratiae imbris irrigatae fructum salutis feramus. Ne simus sicut aqua stagnans, quae semper stat, & quia motu caret, solet insalubris esse, & interdum tetrum odorem habere: sed sicut aqua fluminis, quae in mare, vnde exierat, reuertatur, & ad vniuersorum principium sanctae vitae celeritate recurrat. Denique talenta gratiae nobis data sunt, & auribus nostris illud patris familias praecipuum insonuit: Negotiamini dum venio talentis acceptis negotiemur. Sic constituemur super bona Domini, non tantum in futura vita, in qua praemium aeternum laborum recipiemus, sed in vita quoque praesenti, in qua animae perfectionem & sanctitatem consequemur. Haec vnum Dei donum est, sed multa bona continet, quia & animae pulchritudinem, & memoriae tranquillitatem, & intelligentiae lucem, & voluntatis rectitudinem comprehendit, & omnium vitium animae decorem, ac ipsius corporis continet puritatem.

Aug. lib.
de gratia
& lib. ar.
cap. 7.

1. Cor. 6.

Rom. 1.

Luca 19.

A
Assequenda perfectioni cooperandum homini esse, tum desideriis, tum operibus.

CAPVT II.



I Deus ita hominibus donum perfectionis communicat, ut non tamquam in res inanimatas, & sensu carentes eam inferat, sed ipsorum hominum industriam & cooperationem exigit, quo illis hanc eximiam gloriam impertit, ut dicantur, & sint simul cum Deo, suarum operum & bonorum emptores, videndum nunc est, quibus cooperari debeant, ut ingentes opes sanctitatis & perfectionis obtineant. Duo igitur sunt, quibus homo Deo ad suam perfectionem consequendam cooperatur, desiderium, & opus: nam ardentissimis virtutibus, & perfectionis desiderijs ac sanctis operibus velut quibusdam instrumentis aptus afficitur, & ad excipiendum sanctitatis donum disponitur. Haec duo desiderium, & opus sunt duo oculi, quos homo in istud maximum suae mentis bonum intendit: quorum meminit Dauid, dicens: Sicut oculi seruatorum in manibus dominorum suorum: Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Nam desiderium, & opus nostrum talia sint oportet, ut Deum intentionis simplicitate respiciant, & de manibus eius hoc, quo sustentamur, perfectionis donum extorqueant. Sunt etiam duae manus, de quibus ait Iob: Quare lacerò carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis? Dentes enim meditationis, quorum est, diuina beneficia, & propria peccata ruminando continere, carnem lacerant, dum eam pro commissis delictis debita seueritate castigant. Et manus desideriorum, & operum animam portant, quia eam de virtute in virtutem vehunt, & ne in pristina delicta cadat, diligentissima cura sustentant. Sunt denique duae alae datae mulieri, quae peperit masculum, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Quanam est ista mulier? nonne anima perfectionis auida, quae spiritualis sapientiae luce tamquam sole vestitur, & lunam mutabilitatis proterit, & caput eius virtutibus tamquam stellis circumdatur? Et quod masculum peperit, nisi propositum proficiendi, & ad sanctitatem sine ulla cessatione properandi? In quod autem desertum secedit, nisi in secretum spiritualis vitae, ut interpretatur contemplator Ricardus, in quo tamquam in amabili solitudine ab strepitu saeculi delitescit? Duabus itaque alis desiderij & operis in hunc desertum volat, quia bene desiderando, & operando, ad optatam spiritus tranquillitatem appropriat. Ibi autem scilicet in spirituali conuersatione alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, quia in initio virtutis, & in profectu, & in perfectione eius diuina gratia resicitur. Initium virtutis est tempus, quoniam vni secessioni à malo, & poenitentiae praeteritorum inhiat. Profectus sunt tempora, quoniam multis virtutibus acquirendis intendit. Perfectio est dimidium temporis, quia perfectio nostra in hac vita semper imperfecta est, & quasi dimidiata, quae solum in futura vita omnino perficitur. His itaque duobus pedibus desideriorum, & operum nobis currédum est, quos perficit Dominus tamquam ceruorum, ut super excelsa statuat nos: his duabus ma-

Psal. 122.

Iob. 13.

Apo. 12.

Ric. li. 4.
in Apo.
c. 1.

Psal. 17.

nibus

nibus laborandum, & his duabus alis in perfectionem volandum, ut ad illam tandem veniamus.

Desideria perfectionis non vnus generis sunt; quædam enim sunt à solo Deo iumissa; quædam verò, diuinæ gratiæ simul, & nostræ industriæ laboribus excitata. Nam solet Deus aliquando, ut suæ bonitatis diuitias effundat, hominibus etiam imperfectis, & suæ salutis oblitis, sine vlla ipsorum dispositione, vehementissimum quoddam desiderium virtutis immittere, & edacissimam famem, & sitim perfectionis excitare, qua anima mirum in modum stimulata nescit quiescere, nescit penè modum tenere, sed vnica eius cura, vnicus angor est, in Deum & in diuina festinare. Hoc desiderium possumus in illis Isaie verbis intelligere: *Quæsierunt me, qui antè non interrogabant, inuenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non interrogabat nomen meum.* Atque eius fortè meminit Sapia, dicens: *Sitierunt, & inuocauerunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sicut de lapide duro.* Modum autem huius desiderij, aut voces, quibus Deus dormitientibus excuscat, Ecclesiasticus in hunc modum exponit. *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ, quid adhuc retardatis: & quid dicitis in his animæ vestræ sitiunt vehementer. Aperui os meum, & locutus sum: Comparete vobis sine argento, & collum vestrum subiicite iugo, & suscipiat anima vestra disciplinam; in proximo est enim inuenire eam.* Magna est hæc sitis, quam interdum anima patitur, cuius calcari sitis incitata ita obnixè Dominum inuocat, ita impotuntè aquam perfectionis efflagitat, ut eam de petra altissima (petra autem erat Christus) abundantissimè hauriat, & de lapide duro, probato scilicet, & in fundamento fundato,] & fluente gratiarum emanante tantæ sitis, requiem accipiat. Incredibilis erit inexpertis hæc sitis, atque hoc proficiendi desiderium, quod Dominus increpationibus, adhortationibus, omnium excusationum ablatione, & difficultatum depulsionem, vehementer accendit, adeo ut anima facilitate summa (quam gratia Dei vocantis, & desiderium hoc immittentis facit) viam mandatorum, & consiliorum, & arctas semitas afflictionis corporalis, & abnegationis curat, & thesaurum puritatis concupitum, quasi in proximo constitutum inueniat. Si aliquando ò anima hoc desiderium, & hoc pretiosum donum, & diuini amoris artham fueris experta, propera, festina, curre, non des somnam oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ, donec ad concupitam puritatem, & omnium vitiourum victoriam peruenias. Hoc desiderium lux est, non perpetua, sed ad modicum fortè tempus accensa, ut eius splendore proficias, curre, dum in tuum bonum illuminat, ne antequam iter facias, abscedat. Hoc desiderium calor est, qui tuas manus à frigore fœcordiæ dissoluit; labora dum cales, dum robur spiritus ad laborandum sentis, priusquam aut minuas, aut penitus euanescat. Est denique hoc desiderium velut instrumentum commodatum, aut precariò ad terram cordis excolendam acceptum; cole itaque sollicitè agrum cordis tui, & sentes eradica, & glebas tuæ duritiæ profunde, priusquam à Domino instrumentum agriculturalionis postulerit, sine quo non ita facile poteris agrum mentis excolere. Cùm hoc desiderium in intimis nostræ mentis accenditur, verè magnum ac pretiosum talentum accipimus, quod Dominus non solum, sed multiplicatum, & cum vsuris, ac magno fœnore est exacturus. Indignabitur autem, si illud

Isa. 65.

Sap. 12.

Ecc. 51.

1. Cor. 10.
Isa. 20.

A oriosum, & inutile viderit esse apud nos, & ingratos spoliabit, ac donum suum citius, quam sperabamus, præripiet. Nobis dicitur: *Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.*] Et rursus: *Venit nox, quando nemo potest operari.*] Si hæc lucerna adhuc ardet, & in mentibus nostris splendet, ambulemus non segniter ad splendorem illius, quia in nocte tentationis, & in caligine tribulationis satis laboriosè poterimus discurre, & satis difficulter operari.

Abente verò hoc desiderio ardentissimo (quod homini nec quærenti, nec cogitanti solet infundi) aut quia nunquam datum est, aut quia post aliquod à datione tempus ablatum, eritendum est nobis magna in corde nostro desideria virtutis & perfectionis excitare. Simus viri desideriorum, sicut Daniel; cui pro magna laude ab Angelo dictum est: *Noli timere vir desideriorum, pax tibi: confortare, & esto robustus.*] Quibus verbis sancti desiderij effectus innotescunt. Soler enim desiderij perfectionis inanes timores difficultatum se opponentium abicere, corpus & animam ad robore roborare, & pacem mentis ac tranquillitatem afferre. Quia istud desiderium, non sicut desideria carnis inquietat, sed ita mentem ad quærendum, quod optamus, instimulat, ut tamen pacem non adimat, nec internam serenitatem euellat. Daniel itaque amplius se ad cognoscenda secreta cœlestia ardentissimis desideriis, quam abstinentia & ieiunio disposuit: & sic nos magis affectibus & desideriis quam corporali exercitationi incumbamus. Nam hæc debet esse corporali imbecillitati accommodata, desiderium verò æquum est, ut magnitudini rei desideratæ respondeat. Illam viri sancti pro captu virium suarum acceperunt; hoc, quantum sibi fuit possibile, cumularunt. Quare Laurentius Iustinianus ait: *Non meruit secreta scire cœlestia propheta Daniel, quia ieiunauit, sed quia concupiuit, dicente angelo: Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.*] Et quis verbis potest propalare sanctorum desideria? soli experti norunt amantium affectus, quam sæpe desiderio pariuntur, dilaniantur, vruntur, occumbunt. Quod si liceret, non segnius sustinerent actu, quam desiderijs concupiscant. Hæc ille. Qui ait, Daniel non meruisse audire secreta cœlestia ieiunio, sed desiderio; non quia ieiunium multum non meruit, sed quia multo efficacius desiderium imperauit. At quomodo hæc sanctitatis desideria concipiunt? Certè aliis desiderijs, & orationibus, & meditatione earum rerum, quæ in sequentibus exponuntur. Nā desiderium virtutis alio desiderij desiderio succenditur, oratione crescit, & meditationibus roboratur. Desiderium quidè perfectionis ipsius desiderij desiderio, & concupiscentia crescit. Cuius David est testis certissimus, dicens: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.*] Cupiebat ille desiderium, ut illud non naturæ labor, sed gratiæ esse opus ostenderet. Vnde Ambrosius ait: *Concupiscimus desiderare, quasi non sit potestatis nostræ desiderij, sed gratiæ Dei. Cùm enim Dominus oblectari nos viderit cupiditate desiderij iudiciorum suorum, sobrium auget affectum.*] Cupiebat desiderium, quia Domini iustificationes, & mandata cognoscebat, nondum tamè implèdi ea desiderij habebat. Et ideo Aug. cùm dixisset iustificationes Domini cognitatas, & non amatas, nec in actionem trāsfulas, absentes reputari, addit: *Quid sūt iustificationes, nisi opera iusta, & nō verba? Ac per hoc possunt in iustitate animæ non desiderari, & ratione mētis vti. Videt quippe quæ sint viles, atq; salubres, & ideo potest*

Ioan. 12.

Ioan. 9.

Dan. 10.

Laus. Iul.
li. de dif.
& perfor.
ma. con. c.
6.
Dan. 9.

Psal. 118.

Amb. ad
eundem
Psa. ser. 3.

Aug. ibi.
con. 8.

C

D

E

carum desiderium concupisci. Sæpe enim quid agendum sit videmus, nec agimus, quia non delectat, vt agamus; & concupiscimus, vt delecter.] Cupiamus ergo, & nos desiderium perfectionis. Et sicut infirmus desiderat appetitum cibi, quem pressus morbo fastidit: ita & nos culpæ & imperfectionum nostrarum ægrotudinibus affecti, & virtutis fastidio capti, desideremus fastidium, ac neuseam deponere, & appetitum seu desiderium virtutis inducere. Hoc autem desiderij desiderium, nos ad orandum ac postulandum desiderium perfectionis prouocet, quia oratio humilis, & postulatio seruens prius desiderium perfectionis, quam ipsam perfectionem impetrat. Quem admodum enim qui vult, vt suus seruus aliquid faciat, instrumenta, quibus caret, ad faciendum suppeditat; ita Dominus, quos vult ad perfectionem prouehere, magnis desiderijs, quæ sunt velut instrumenta assequenda perfectionis, accendit. Quare hæc nos desideria petamus, vt illis tamquam aptissimis instrumentis purissimum mel sanctæ puritatis in nostris cordibus elaboremus. Postulemus famem, vt ipsa nos ad quærendum cibum virtutis adigat. Postulemus & sitim, vt nos ad effodiendam diuinam gratiarum aquam excitet: quam si biberimus, aquam consolationum terrenarum non sitiemus in æternum. Et sicut dicebat ille: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam;] ita dicamus quanto potuerimus affectu: Desidero Domine, adiuua tu desiderium meum.] Sic fortè dicit Dominus spiritui pigritiæ, qui immundus est, & surdus, & mutus (quia manus hominis pigri ligat, ne suas maculas lauet; & aures obturat ne Dei clamantis voces exaudiat; & os comprimit ne linguam in vocem confessionis (oluat) Exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.] A quo spiritu liberati, non erit arduum ardentia desideria virtutis concipere, & ad perfectionem anhelare. Ita autem desideria sanctæ meditationis roborent, tum eorum, quæ de dignitate perfectionis dicta sunt, tum etiam eorum, quæ vt incitamenta huius desiderij statim subiiciemus. Nam hoc habet meditatio, vt odium mali generet, & desiderium boni, & pulchri succendat. In meditatione mea, ait sanctus Dauid, exarsit ignis.] Et Bernardus fructum meditationis exponens, quæ meditatur quàm pulchra & honesta sit cordis munditia, postquam edixit multa, quæ anima exercitatione meditationis inuenit, hæc addit: His anima facibus inflammata, his incitata desiderijs, fracto alabastro suauitatem vnguenti præsentire incipit; nec dum gustu, sed quasi narium odoratu. Et ex hoc colligit, quàm suauis esset huius munditiæ sentire experientiam, cuius meditationem nouit adeo esse iucundam. Sed quid facit? Habendi desiderio æstuat, Sed non inuenit apud se, quomodo habere possit; quanto plùs inquit, plùs sitit. Dum apponit meditationem, apponit & dolorem; quia sicut dulcedinem, quàm in cordis munditia meditatio monstrat, sed non prægustat.] Vide, quomodo meditatio solers desiderium exsuscitet, & sitim perfectionis, & virtutum prouocet, sed de hoc aliàs.

Desideria autem virtutis, sine virtutis operibus non sufficiunt. Esset enim velle vno tantum pede progredi, & vna tantum ala volare. Et scriptum est: Desideria occidunt pigrum] desideria nempe sola, & bonis operibus destituta, quia nullus aut præcepto, aut obligationi solo desiderio factis facit, quando adest facultas operandi. Nec desideria sunt efficacia, quæ (nullo impediente) intra mentem se continent, & bona concupita non implent. Sequantur

ergo perfectionis desideria, virtutis actiones, quæ in anima vitia destruant, & immoderatas passiones comprimant, & eam paulatim ad puritatem, & perfectionem attollant. Quæ autem, & quales sunt istæ actiones, quorum præsidio anima ad perfectionem scandit? Certè omnes illæ quæ ad mortificationem nostram, siue ad ornatum animæ, siue ad studij orationis, siue ad proximorum utilitatem pertinent, de quibus est animus (si dator vitæ vitam concesserit) in his voluminibus disputare. Interim tamen hæc omnia virtutis opera, ad illas notissimas iustitiæ partes referimus, quas breuiter sanctus propheta depinxit, dicens: Declina à malo, & fac bonum.] Quæ verba ego ita intelligo, vt fundamentum scalæ, cuius ascensu ad perfectionem peruenitur, sit perfectionis desiderium: primus verò gradus ascensionis sit ab omni malo diuertere; secundus verò, omne bonum facitare. Quod explicans Ambrosius ait: Nobis initium bonorum abstinencia peccatorum est: quoniam legimus: Declina à malo & fac bonum.] Hic enim ordo est disciplinæ, vt ab inferioribus ad perfectiora contendas, ne terrearis mole maiorum, qui leuiorum exordio debeas prouocari. Scalarum enim similem esse Scriptura nos docet pietatis ascensum per quas vidit Angelos Domini ascendentes & descendentes sanctus Iacob, vir exercitationis, qui nobis propositus est, vt per illum cognoscere gradum virtutis paulatim nos proferre debere, & ita posse ab imis ad summa contendere, si per processus gradiamur exiguis ad ea, quæ videntur humanæ altiora natura.] Duo verò isti gradus non simplices sunt. Quia in primo gradu; Declina à malo, multa sunt nobis peccata fugienda: multa vitia destruenda: multa concupiscentiæ deserenda; multæ tentationes vincendæ: multæ passiones frændendæ. In secundo autem gradu, Fac bonum, omnibus virtutibus tum Theologicis, tum moralibus studédum est, & multa orationis exercitia suscipienda, vt tandem ad mentis puritatem, & amoris perfectionem veniamus. At cupies breui compendio omnes istos gradus ascensionis agnoscere. Illos ergo pro nunc, ex doctrina Cassiani magni doctoris ediscas. Audi paucis ordinem, inquit, per quem scandere ad perfectionem summam sine vilo labore, ac difficultate præualeas. Principiū nostræ salutis, sapientiæq; secundum scripturas timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutatis. De compunctione cordis procedit abrenunciatio, id est, nuditas & contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. Mortificatione voluntatum extirpatur atq; marcescunt vitia vniuersa: Expulsione vitiorum virtutes fructificat, atque succrescunt. Pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur. Puritate cordis Apostolicæ charitatis perfectio possideret.] Sed plures sunt hi gradus, quàm optaueram, & nondum desiderio perfectionis excitato, minime tot & tam difficiles gradus ascendo. Audi ergo ex Bernardo pauciores. Duo sunt, ait, in operatione, quæ nobis Deum auferunt, flagitia scilicet, & facinora. Flagitia dicimus, scilicet, quæ in nobis; facinora, quæ in proximis peccando committimus. Item sunt duo, quæ Deum reddunt, continentia & beneuolentia: vt scilicet ex contrariis contraria curentur. Hinc enim scriptum est: Sicut exhibuisti membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete ea seruire iustitiæ, in sanctificationem.] Istis quatuor generibus operum à Bernardo luculenter expositis, ex desiderijs ardentioribus exortis, ad tuæ animæ perfectionem cooperaberis. Vt autem tam

Psal. 38.

Ambr. in
Psal. 1. in
illud, Bea
116. vir.

Gen. 28.

Marti 9.

Ibid.

Psal. 38.

Bern. in
scala cta.
off. medi.

Prov. 2. 1.

Cass. 4.
de inst. c.
vltim.
Prov. 9.
Psa. 111.Bern. ser.
5. de Ass.

Rom. 6.

desideria

desideria, quam opera persequerent, & in dies magis ac magis augeantur, ut prudens Martha, atque sollicita, Mariæ sororis auxilium efflagita. Clarius dico: ut desideria crescant, & bona opera persequerent, utraque sollicito studio orationis coadiuua. Hæc enim, quæ quodam modo ad genus operum, & quodam modo ad genus desideriorum pertinet, & mentem in operibus bonis confirmat, & desideria ipsa quotidie magis inflamat. En duo ligna, quibus ignis veri & perfecti amoris accenditur, quo cibus animæ conditur. Nam si illa vidua Eliæ pro buccella panis sollicitata respondit: Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farina in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar & faciam illum mihi, & filio meo, ut comedamus & moriamur;] mysterium inuoluit, eius, quod nos facere debemus, ut in hac vita sustentemur. Si enim non habemus panem, nempe virtutem perfectam, quæ nos vitiumque reficiat, colligamus duo ligna, alterum boni desiderij, alterum boni operis, quibus ignem feroris & deuotionis excitemus. Hoc igne ita oleum diuinæ gratiæ, & farinulam nostræ industriæ satis modicam condiemus, & vnum oleatum panem coquemus, ut non nobis solis, & filio nostro, scilicet spiritui, sed etiam propheta sufficiat. Christus namque redemptor noster in Elia figuratus, hoc etiam pane spiritualis vitæ reficietur: Qui dicturus est iis, qui ad dexteram eius erunt, & ad regnum sunt admittendi, Esuriui, & dedistis mihi manducare, venite & possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.] Iste etiam pane comedemus, & moriemur, quia eius gustu à rerum secularium amore auulsi, moriemur sæculo, ut Deo, & iustitiæ viuamus. Sed nunc omissis bonis operibus, quæ ad perfectionem necessaria sunt, de primo ligno, scilicet de perfectionis desiderio differamus.

Concipiendum esse nobis perfectionis desiderium.

CAPVT III.

RACILLIMVM cuique videbitur desideria perfectionis concipere, & ad sanctitatem cordis affectibus aspirare. Ea namque est humana voluntatis natura, ut velut præceptum in bonum, ac pulchrum feratur, præsertim si bonum ipsi cupienti, ac possibile existimetur. Quid autem perfectione melius, quid sanctitate pulchrius, atque formosius, quam nobis peruiam esse maiorum nostrorum, qui nos Christo genuerunt, hominum scilicet imbecilliorum exempla declarant? Voluntas ergo prona erit in perfectionis desiderium, quod non solum facile, sed & iucundè, & gratanter eliciet. Accedit ad hoc, quod perfectionis difficultas, non in affectu, aut desiderio, sed in opere videtur esse sita: Neque enim difficile est oculos in munitissimam & altissimam arcem attollere, sed admodum difficile, compedes, & catenas, quibus aliquis est ligatus, abrumperè, & per loca inuia atque prærupta, pedibus & manibus reptando, ad arcem properare. Non est difficile operare victoriam, quam non tantum tyrones milites, verum & vilis agalonus turba, quæ manet ad sarcinas, impensè solet percipere, sed difficillimum hostes animosus, & robustos, & fortiter pugnantes, deicere. Ita nulla apparet difficultas in hoc, quod sublimissimam perfectionis arcem oculis affectuum lustremus, & omnium hostium vitæ spiritualis, ac nostri proterui cordis victoriam cupiamus,

A sed difficultatem habebit, & quidem magnam, opus ipsum, quo nos, & aduersarios vincimus, & à vilitate carnalis vitæ in altitudinem perfectæ & sanctæ mentis ascendimus. Quare superuacuum videtur desiderij perfectionis mentionem facere, & ad ipsum concipiendum velle religiosam animam incitare.

Fateor hoc ita esse, si humana natura integras, fortis, & sana persisteret; at tot vitiorum affectu morbis, tot peccatorum operum tenebris, tot affectuum immoderatorum consumptæ doloribus, non est illi facile hoc perfectionis bonum aspicere. & illius desiderij incitari. Sicut enim homo dolorum violentia cruciatus, & vlcera tabe corrosus, vix potest nisi suam miseram sortem cogitare: sic impurus animus, vitiorum & desideriorum carnalium ægotatione compeditus, sui puritatem, aut cogitare, ut oportet, aut optare non valet. Imò si attentius inspicimus, animus peccatis irretitus, ineptior est morbo ad perfectionem optandam, quoniam huic sui dolores, & sua vlcera displicent, & displicentia, ac detestatio dolorum, ad querendum remedium sollicitat; peccatori verò sua vulnera placent, quæ complacentia, ac vitiorum amor, ad persistendum in eis, & nihil aliud, nisi quod vitium feruiat, cupiendum, impellit. Non itaque ineptè corda vitiorum spiritualium, vel (ut aptius loquar) eorum, qui statum religiosum habent, & vitam spirituales professi sunt, ad perfectionis desiderium excitamus, ut si adhuc reliquæ morborum antiquorum manent, quibus in sæculo ægotabant, & famem ac sitim tam suauissimi cibi præpediunt, aliquibus remediis eam acuerè, & excitare conentur.

B In quo Paulum sequimur, qui non tantum in illis, verum in omnibus quoque fidelibus hoc perfectionis desiderium accendit. Si surrexistis cum Christo, ait, quæ sursum sunt querite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.] Si hæc omnibus fidelibus dicta sunt, quanto magis his, qui pro sui status ratione, & pro beneficiorum onere, quibus ditati sunt, quæ sursum manent, querere debuerant? Hunc ergo Apostoli sermonem sibi dictum intelligant, & ad se præcipue spectare cogitent, ut si cum Christo noua quadam, & peculiari ratione surrexerunt, quatenus mortem omnis peccati, & ægrotudines secularis conuersationis vitauerunt, curent desiderijs suis omne vile, & caducum abicere, & ad vitam celestem, & perfectam contendere. Vbi Christus est, inquit, ibi desideria vestra subuehite: nihil nisi quod ad Christum ducat, & vos Christo coniungat, in hoc sæculo nequam cupiatis, ita fiet, ut & sæculi miserias, & pericula, euadatis, atque ex illo veluti ex laqueo liberi, & secuti in cælum euoletis.

C Imitemur nunc Paulum, atque in nobismetipsis, sed & in omnibus ista legentibus, nonnullis rationibus propositis, istud perfectionis desiderium excitemus. Vna verò, & satis efficax ex ipsius nostræ naturæ conditione petatur. Homo enim imago Dei est, ad hoc conditus, ut Deum operibus suis ac desiderijs glorificet, cuius præcipua parti, nempe spiritui, minus præcipua, scilicet caro, subiecta est, ut quam **D** Deus in toto orbe, spiritus in sua carne potestatem exerceat. Quod & in ipso Apostolo videbimus expressum, si tantillum corticis literæ relinquamus. Vir, inquit, non debet velare caput suum; quoniam imago & gloria Dei est. Mulier autem gloria viri est. Ideo debet mulier potestatem habere super caput propter angelos.] Ac si diceret; Spiritus, qui est imago Dei, & ad eius gloriam manifestandam creatus, tam puras cogitationes, & tam excelsa desideria habeat, capitis nomine designata, ut nequaquam ea aliquo

3. Reg. 17.

Matt. 25.

Coloss. 3.

1. Cor. 11.